



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hermannii Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

§. I. D. SS. Joanne Papa I. & Athanasio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

Neque juvat hæc metu majoris mali ab invitis fieri, quique hæresin maximè detestantur. *Est enim hoc quidem bona mentis indicium, quod non potest non laudari*, ut Cardinalis Hosius respondit Paulo IV. sed metus peccatum quidem minuit, non tamen tollit: neque enim præceptum fidei non violat, qui metu mortis sacrificat Idolis, quæ mente detestatur, licet minus peccet, quam si eadem Deos putaret. Neque Petrus non peccavit, quia ex metu Christum non animo sed verbis, negavit. Etsi igitur Catholici cum Protestantibus juxta votum illorum pacientes, animo hæresin non approbent: at re ipsâ tantum eidem concedunt exterius, quantum non nisi veræ fidei debetur, ideoq; peccant.

Quod verò dicitur, multa in favorem Catholicæ Religionis hâc Pace contineri, est *excusatio in digna Christiano*, qui à Christo didicit neque totius mundi lucrum cum detrimento animæ si-  
ve peccato esse querendum, & à S. Paulo, non esse facienda malâ,  
*ut veniant bona*. Neque fas unquam fuit peccata peccatis com-  
pensare. Non absolvitur judice Deo adulter, qui eleemosynis,  
aliisque piis operibus turpitudinem exbusat, in quâ perseverat.  
Nec denique favor Religionis est solidus, cum hæresis illi æ-  
quatur, aut in periculum tanto nocentiùs, quanto speciosius,  
conjicitur.

### *Ad IX.*

#### *Exempla.*

##### *§. I.*

#### *De SS. Joanne Papa I. & Anathasio.*

**R**esp. Gravissimam injuriam fieri S. Joanni Papa inde evi-  
dens est, quod calumniam refutat epistola ab ipso ex car-  
cere scripta, quam allegavimus RAT. s. §. 2. & Gregorius  
Turonensis ejus seculi scriptor, cap 40. de gloriâ marty-  
rum; asserens, Joannem cum ad Episcopatum venisset, summo stu-  
dio hereticos execratum, Ecclesias eorum in Catholicas dedicâsse  
Neque.

Neque Theodoricus eum carcere & morte multâasset, si Arrianis Ecclesiæ, uti injuxerat, impetrâasset. Suscepit Joannes ius suu Regis Legationem pro Arrianis eodem animo, quo Mater Machabœorum 2. Machab. cap. 7, Antiocho Reges uadente, ut filio adolescentiori, qui solu carnificina fratrum supererat, fieret in salutem, per ironiam se obsecuturam promisi: idq; mox gravissimis ad constantiam monitu re ipsâ demonstravit.

S. Athanasius Constantino viribus impar, sapienter dixit se Arrianis templum Alexandriæ concessum, cum præsertim inde majus bonum speraret, si vicissim pro Catholicis templum Antiochiae obtineret: quod advertentes Arriani, permissionem templi Alexandrini libenter remiserunt. Neque, si heretici ex aliquâ Urbe penitus expelli nequeant, nihilque præterea in præjudicium Religionis illis tribuatur, illicitum erit, aliquid exemplum exercitio heresis assignare; ubi minori cum Catholicorum periculo & exacerbatione suâ, quâm in privatis ædibus, convenient: *Locus enim valde extrinsecè se ad peccatum habet; ideoque licere meretrici aut usurario domum locare cum aliis tenet.* Sanchez tom. i lib. i. in Decal. cap. 7. num. 20. Quod de templo quoque, exemplo Athanasii inductus, concedit Malderus, 2. q. 10. a. 11. eo nominatim casu, quando heretici multa loca munera occuparunt, in quibus & ex quibus multos corrumpunt: admissi in illis exercitium Religioni Catholica, si aliqua ipsis vicissim Ecclesia relinquatur. Quod non magis illicitum est, quâm cum urgente necessitate tempia in propugnacula, vel alios profanos usus convertuntur.

Exemplum Concilii Basileensis, ut nihil dicamus de ejus auctoritate, plus non probat, quâm simplicem tolerantium ad breve tempus. Neque enim exercitium suæ sectæ Hussitis sine gravi incommodo Basileæ tem negari potuit.

## § II.

### *De Imperatoribus.*

Resp. Imperatorum antiqua exempla gratis produci. Nam qui